

CORIPPUS FLAVIUS CRESCONIUS (saec. VI)

IN LAUDEM IUSTINI

1655

[...] Virgo creatoris genetrix sanctissima mundi,
 excelsi regina poli, specialiter una
 vera parens et virgo manens, sine semine patris
 quam Deus elegit matrem sibi, credula Verbum
 concipiens nostram genuisti feta salutem.
 O pietas miranda Dei dictuque tremenda!
 Caelorum factor Dominus Deus, unica patris
 forma Dei, verae sese velamine carnis
 * induit et servi formam de virgine sumpsit.
 Quos tibi, quos genito dignos solvemus honores
 pro tantis, benedicta, bonis? Te, gloria matrum,
 auxiliumque imploro tuum.

PLS
IV, 1148

*1149

LITURGIA GALLICANA

MISSALE GOTHICUM SEU GOTHICO-GALLICANUM (saec. VI/VII)

1656

Lib. III. Generosae diei dominicae Genitricis inexplicabile sacramentum, tanto magis praeconabile, quantum est inter homines Assumptione Virginis singulare: apud quem vitae integritas obtinuit Filium, et mors non invenit par exemplum: nec minus ingerens stuporem de transitu, quam exultationem ferens unico beata de partu. Non solum mirabilis pignore, quod fide concepit; sed translatione praedicabilis, qua migravit. Speciali tripudio, affectu multimodo, fidei voto, fratres dilectissimi, corde deprecemur attento, ut eius adiuti muniamur suffragio, quae foecunda Virgo, beata de partu, clara de merito, felix praedicatur abscessu: obsecrantes misericordiam Redemptoris nostri, ut circumstantem plebem illuc dignetur introducere, quo beatam matrem Mariam, famulantibus apostolis, transtulit ad honorem.

PL
72, 244

1657

Dignum et iustum est, omnipotens Deus, nos tibi magnas merito gratias agere, tempore celeberrimo, die prae ceteris honorando. Quo fidelis Israël egressus est de Aegypto, quo Virgo Dei Genetrix de

PL
72, 245

- PLS IV, 1137.
- LEANDER Ep. Hispalensis († 600), PLS IV, 1425, 1426, 1443.
- APRINGIUS (saec. VI), PLS IV, 1242.
- POËTAE MEROVINGICI, PLS IV, 1468, 1469, 1472.